

XIII. Maiorem huic sententiae speciem conciliare uideatur Tertullianus, quem male habet Marcionem, Euangelio, quod interpolarat nullum praefixisse titulum. *Contra*, inquit, L. IV. 2. *Marcion, Euangelio scilicet suo nullum adscribit autorem, quasi non licuerit illi titulum quoque affingere, cui non nefas fuit ipsum corpus euertere. Et possem hic iam gradum figere, non agnoscendum contendens opus, quod non erigat frontem, quod nullam constantiam praeferat, nullam fidem repromittat de plenitudine tituli, et professione debita auctoris.* Quo testimonio utitur cum primis Auctor Cogitationum Nouarum, idemque ἀνόνημος, de Primo et Secundo Adamo. §. CXXII. p. 88. quando nempe nult euincere, ipsos Euangelistas, et speciatim Ioannem, plenos titulos suis praefixisse Euangeliiis, et in hisce titulis argumentum, de quo acturi essent, fuisse professos. Atque hinc beneficio loci cuiusdam, a Celso, aduersus Christianos, allati, titulum restituere conatur. Celsi uerba apud Origenem L. II. p. 79. sunt sequentia: Μετὰ ταῦτα χριστιανῶν ἐγκαλεῖ, ὡς σοφιστομένοις ἐν τῷ λέγειν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι αὐτολόγον. Καὶ οἶεται γὰρ κρατύνειν τὸ ἔγκλημα ἐπεὶ λόγον ἐπαγγελόμενοι υἱὸν εἶναι τοῦ Θεοῦ, ἀποδείκνυμεν οὐ λόγον καθαρὸν καὶ ἅγιον, ἀλλὰ ἄνθρωπον ἀτεμώτατον ἀπαχθέντα καὶ ἀποτυμπανισθέντα. Hic pro αὐτολόγῳ substituit αὐτοῦ λόγον, et cum nullus dubitat, quin ob oculos Celsus habuerit Euangelium Ioannis, titulum iuxta eius tenorem ita informat, τὸ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγέλιον περὶ τοῦ υἱοῦ, ἢ λόγου τοῦ Θεοῦ, *Euangelium secundum Ioannem de Filio seu Λόγῳ DEI.* Aut sic, περὶ τοῦ υἱοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος, *de Filio DEI, qui est eius Λόγος.* Quae ne gratis dixisse uideatur, uerba, quae titulum mox excipiunt, ita transfert: *In principio erat Λόγος, et ille Λόγος erat apud illum DEVM, et DEVS erat ille Λόγος.*

XIV. Hem criticum, cuius, quod doleo, critica adeo est obtusa, ut nihil supra. Unde probauerit, ex Ioannis haec Celsum petiisse Euangelio? Quid si petiisset ex sermonibus, librisque Christianorum, in quibus non raro hoc Filius DEI nomine affectus legitur. Nec deerant,